

Texas State Junior Classical League
Sight Recitation, Level 3

Numquam sum magis dē occupātiōnibus meīs questus, quae mē non sunt passae aut proficīscentem tē valētūdinis causā in Campāniam prosequī aut profectam ē vestīgiō subsequī. Nunc enim praecipuē simul esse cupiēbam, ut oculīs meīs crēderem quid vīribus, quid corpusculō apparārēs, ecquid dēnique sēcessūs voluptātēs regiōnisque abundantiam inoffēnsa trāsmitterēs.

Equidem etiam fortem tē nōn sine curā dēsīderārem; est enim suspēsum et anxium dē eō quem ārdentissimē dīligās interdum nihil scīre: nunc vērō mē cum absentiae tum īnfirmitātis tuae ratiō incertā et variā sollicitūdine exterret. Vereor omnia, imāginor omnia, quae que nātūrā metuentium est ea maximē mihi quae maximē abōminor fingō. Quō impēnsius rogō ut timōrī meō cotīdiē singulīs vel etiam binīs epistulīs consulās. Erō enim sēcūrior, dum legō, statimque timēbō, cum lēgerō. Valē.

(VI.4)

Texas State Junior Classical League
Sight Recitation, Level 4

Tiliae contermina quercus
collibus est Phrygiīs, modicō circum data murō.
Haud procul hinc stagnum est, tellus habitābilis ōlim,
Nunc celebrēs mergīs fulicisque palūstribus undae.
Iuppiter hūc speciē mortāli, cumque parente
Vēnit Atlantiadēs positis cādūcifer alis.
Mille domōs adiēre, locum requiemque petentes;
Mille domōs clausēre serae. Tamen una recēpit,
Parva quidem, stipulis et canna tecta palūstri;
Sed pia Baucis anus parīlique aetate Philēmon
Illa sunt annis iūcti iuvenālibus, illa
Conseruēre casa; paupērtātemque fatēndō
Effēcēre levem nec inīquā mente ferendō
Nec refert dominōs illic famulōsne requires;
Tota domus duo sunt, īdem parentque iubentque.